Loedechius Andr.
Epithalamium I. 95 ink.

Epithalamium I.

IN NVPTIAS

SER^{mi} AC POT^{mi} PRINCIPIS,

SIGISMVNDI TERTII,

POLONIÆ ET SVECIÆ REGIS,

Cum Ser^{ma} Virgine,

CONSTANTIA,

CAROLI ET MARIÆ, ILL^{morum} ARCHI-
ducum Auſtriæ. Ducum Bauariæ, Burgundiæ,
Styriæ, Carinthiæ, &c. &c. filiâ.

Ab Andrea Lœæchio Scoto F.

CRACOVIÆ
Anno Domini 1605.

AVCTOR VERSVS, OPES INOPVLENTAS, at proprias, Fortunæ instabili, cœcæ, surdæ, at diuiti,

VT sibi fortunarum hactenus semper experti nunquam non aduersæ: nunc quoq; æquè ac antèa, aduersus eius leuitatem animo in præsentissima inopia grauissimo, ne vel hac vice meliora lapsis, à fortunæ animosissimo Victore, felicissimo Sponso,

SIGISMVNDO III. POLONIAE & SVECIAE REGE,

speranti exspectantiq; obsit,

Fidenter simul & vltimò, nisi secunda sit,

DICAT.

Regibus ô quandoque Parens, quandoque nouerca,
Vatibus at semper sæua nouerca, tuæ
Ista dico Fortuna rotæ, clementior aurâ
Vt solitâ spires. Cæca negabis opem,
Sat scio: capta oculis nam pingere. Inepta uidere,
Saltem aures adhibe, surda nec usque mane.
Hoc ego pro dono, Instinctum precor ore misellus:
Surgat Achillæâ Musa repulsa manu.
Da iuuet, ô nuper quem tu dignata iuuare es,
Dum Carolum, Carolo consociata, quatis.
Fac iuuet ô, cumulans cui tu, Fortuna, recenter
Das, quibus inuideant regna deique, thoros.
Armiger eia Iouis Phœbææ lucis egenos
Quantumuis radios, fac, uelit ore pati.
Illius uultum trepidantes offero fætus,
Tuti at erunt, sua si lumina ferre sinet.
Vnum hunc, Post superos, spes inclinata rogabit.
Duritiam haud metuo: nam procùl omnis abest.
Frustratorum aliàs palmam preciumq; laborum,
Hoc ualet officium si meruiße, feram.

AVGVSTISSIMA SPONSI ET SPONSÆ Nomina, vtrumq; duplici Anagrammate expreſſum.

SIGISMVNDVS TERTIVS, POLONIÆ ET SVECIÆ REX: SECVNDO SPONSVS.

I.

Cor Inter Viduas Spes Conſtans Iuit.
Euge: Poſſideo Lumen Sexûs.

II.

Lumen Sexûs, Spes Auges (Suſtinui Certando)
Veniſti: Cor Poſſide.

CONSTANTIA ARCHIDVCISSA AVSTRIÆ.

I.

Nata, Sacra Thoris: Victa Vincis Deas.

II.

Ornaſti Hanc Ætas Caducis: Ita Ruis.

EPI-

EPITHALAMIVM I.

QVam ſic purpurei circumuolitatis Amores?
Sic hodie fauit cui repetitus Hymen?
Quæ geminas pariter mortali in pectore diuas
Nympha alit, & miris exprimit vna modis?
Temperat auguſtâ comem grauitate Iuuentam
Pallade commixtum Cypria pectus agens.
Ruſticolæ, ô Virgo, ſit tanta potentia Muſæ,
Tu quantùm ſuperas laudibus ora tuis!
Non quæ Priamiden facies incendit, honore
(Mille Poetarum cura laborq; licèt)
Hanc æquet. Pulchra at decorat prę corpore Virtus,
Inſequiturq; comes forma pudicitiam.
Soluunt vota Dei. Virgo paritura Polonis
Pignora, Semidei quêis referantur Aui,
Venit deſponſata, ſacras vt iuret ad Aras
Fœdera, quæ tantùm ſoluere fata queunt.
Scilicet hæc lux eſt, vidui ſolatia lecti
Sceptrigero toties mente vocata ferens.

TOta tuæ ſacra lætitiæ lux, Sceptriger, hæc eſt.
Quid dixi? Lucis pars quotacunq; tua eſt.
Cum Regno partire diem. Quam ſæpe petebas
A Superis, etiam Regna precata ſibi.
Altera iam Coniux hæc eſt, de Sanguine tanto,
De quanto ſoboles debuit eſſe tibi.
☞ Incipe Rex mecum: Cur indignere ſubinde,
Oblitus Regis, vatis honore frui?
Dic bona verba Deis: votum perſolue Hymenæo:
Sponſæ animum tali prodito voce tuum,
POSSIDEO LVMEN SEXVS. Mecum exige ô annos!
At ſolitis fata ô parcite, quæſo, malis.

 SPES

SPES INTER VIDVAS tibi COR Conſtantia alebam:
CONSTANS, EVGE, IVIT morte reductus Amor.
Disſita quantumùis aderas huic proxima menti,
Præfecta eſt teſtis Regia Iuno thoris.
Sæpe mihi dixit, Voto gaudebis, & illâ
Virgine, quâ nulla eſt dignior orbe: tamen
Immunem non tu Liuoris habebis Amorem;
Coniugio comes eſt ſcilicet ille tuo.
☞ Adde iſtis, Pudeat neq; vatis ab ore moneri:
Illicita & licito verba refelle modo.
Eſte procul voces, linguę & commenta profanæ,
De refugo meritę flumine ferre ſitim.
Non ego ſum pueri factus malèſaucius arcu:
Materiam flammis non ego quæro meis.
Iuro pio cineri, meus eſt amor ardor Honeſti;
Si non, vltores prouocet vmbra deos.
Me mouit Virtus, mouêre in virgine dotes,
Iuno mei ſociam quam iubet eſſe thori.
Mî placuêre notæ, & gignentum è ſemine morum
Gloria; nec titulo gloria ſola tenus:
Vix vllâ Pietas gauíſa eſt Virgine tantùm.
(Forma eat; exiguum forma caduca bonum)
Excoluit Pallasq; animum, linguamq; Camœnæ:
Iactat in hac mentem doctus Apollo ſuam.
Soluere germanæ potuerunt ſtamina Parcæ, at
Soluere promſſâ non potuêre fide
Fata Deos. Hoc nomen erat, quod ſemper amaui
Poſt deſolati frigida regna thori.
Integrum vobis ſeruaui, Numina, Honorem:
Non volui arbitrio vota licere meo.
Arbiter ipſe orbis Clemens, Paulusq; ſequutus;
Noſcere quem nexùs lex manet omne genus,
Nos inter ſacro decreto fœdere ſanxit,
Subſcripſitq; æquæ iuſtus vterq; rei.

Fama

Fama maligna sile: Factum qui damnat, inertes
Conferat arcanâ cum ratione sonos.
Scilicet alterno lapsu natura recurrens,
Antiquis Regum mos repertus Auis,
Durat adhuc. Castum mori libemus Honorem;
Quo durante manet mutuus orbis amor.
Hæresiarchæ omnes tumeant, Romana potestas
Altiùs ac ima hæc fex volitare potest.
Roma suam vim, tetra tuam metire, nec altæ
Contendas Aquilæ cominùs ire Culex.
☞ Desine plura queri: pro te certabit Olympus.
Tuq; aures verte hùc Regia Sponsa tuas.
Quod faustum & felix Regno Populoq; Deorum
Est facere, en thalamis digna propago Iouis,
Nec cupit alterius, potuit neq; Virginis esse
Quàm tuus, ô tali conditione Deum
Semideum priùs! Admisit qui in pectora flammas
(Supplicio nosci vult manifestus amor.)
Hinc certò vt scires, quàm te deuotus amaret,
Luminibus nunquam lumina visa suis,
In Cor demisit, legerent vt vulnera mentis;
Nî tu, sanare hæc nulla puella potest.
Telephus en, Virgo, læsus: tu saucio Achilles,
Vt picta inflixti vulnera, viua at opem
Da læso. Penetres Corde in præcordia: labris
Da matutinis æmula labra rosis.
Ad vocem hanc aures, Regina, auertere tentas,
Decepta at blandâ es credulitate satis.
Casta licèt casto serues in pectore sensus,
Et mentem, superos quæ mouet vsq; deos:
Virgo viro nata es, dextrâ cogenda Hymenęi,
Si non vis vltrò subdere colla iugo.
Nonne tuus Genitor, Genitricis captus amore,
Expertus pueri iura superba dei?

ntè pater matrem dilexit, & illa maritum:
Quod decuit Matrem, cur tibi turpe putes?
arua hæc? Magna audi: Quæcunq; potentia Cæli
(Parte hac fas homines asſimilare deis)
uic puero paret (Senſiſti Iuno tonantem)
Sorte deæ melior ſors tua forte putas?
iuos, quos penes eſt vitæq; necis q; poteſtas,
Omnia qui poterant vincere, vicit amor.
t Sponſo gignas, qui te pulchro exprimat ore,
Qui ſimul & Patrem nomine reddat Auum,
s SACRA Sponſa THORIS, Hymenęo NATA, Marito
VICTA vni: multas VINCIS at vna DEAS.
☞ Sponſa tua erubuit: talem natura puellam
Effinxit: Tibi, Rex, da mihi plura loqui.
agna in te diui ſtatuêre exempla fauoris:
Hæc ego dum refero, fronte animoq; faue.
n tibi cum Sponſa hac Charitum chorus, ordo ſororum,
Lege maritali conſociatus adeſt.
ſancta docta eſt Virgo Genitrice venuſtos
Mores; planè in quos dicere fama nequit.
cilicet hi caſtæ ſunt pro velamine formæ,
Nulla illam flammis inſidioſa Venus
edecorat: Cordis ſeruat penetralia Honeſtas:
Integra mens ſceleris reſpuit omne probrum.
uppiter ipſe, licèt fuluum ſe vertat in imbrem,
Velet & abiecto numine furta, nihil
uic faceret: caſtæ Genitricis caſta propago
De Danaes vellet nomine habere nihil.
uceret Hanc Salomon, ductus Sapientię amore,
Duceret Hanc ductus Relligione Dauid.
on igitur mirum prælatam eſſe omnibus vnam
Hanc tibi, quas celſo Phœbus ab axe videt.
Mirandum potiùs non indixiſſe Gradiuum
Bella tibi, mirum non rapuiſſe Iouem,

At

At fauit Cælum, fauerunt Numina votis,
Auſpicijs quorum Nomina tanta fluunt.

AMbo igitur fauſto iungendi ſydere amantes:
Rex Iunone, & tu digna virago Ioue,
Felici auſpicio ſtadium decurrite amoris,
Diuulſa & properè nectite lucra thori.

WLadiſlae viden', patrij ô ſpem nominis implens,
Non matrem penitus Matris obire vices?
Ecce nouerca, tui quæ nil in amore parenti
Concedit, (genitrix vincere nulla poteſt)
Nomen auet matris. iure indignabitur atqui,
Si minùs ac par eſt Materametur, ames.
Illa optat citò te ferrum torquere lacerto:
Illa ætas optat creſcat ad arma tibi.
Creſce puer, magni minor haud cognomine patris,
Atq; Atauos factis diſce referre tuis.
Creſce puer, Patriam titulis & honoribus auge,
Non intra molles ſerica dona thoros:
Non intra plumas annos diſperde iuuentæ:
Diſcant ô hoſtes te quoq; habere manus,
Muſica ſint litui atq; tubæ; diſcrimina vocum
Audiat haud aptus Martia caſtra sequi:
Audiat ad puras intentus Epiſcopus Aras,
Supplicibus placans Numina læſa ſonis.
Diſce Armis olim priſcos æquare Polonos,
(Quo fuſus non eſt gentis in orbe labor:)
Parta illis Pax eſt ferro, ferroq; tuentur;
Quam toties propter bella cruenta gerunt.
Pruſſia ſenſiſti, non victa ô ſæpe, Poloni
De victæ imperio quid ſtatuêre crucis.
Hos Moſci nôrunt, Valachi Turcæq; Getæq.
Quid breuibus referam parta Trophæa modis?

ugæ, Roma, tuis toties vexatus ab armis
Orbis: conflictus militis illud erat.
t quæ non de te victâ gens victa triumphat?
Imminuens titulos, Roma superba, tuos.
on sic Sauromatæ: Potuistis signa phalanges
Vt minimâ, inuicti, vincere sæpe manu.
erro, non auro pacem retinetis: at aurum
Hostibus ereptum ferri habuistis ope.

Ceptriger ô, tales qui Ciues pace gubernas,
Et tu, quam Dominam gens animosa vocat,
elici auspicio stadium decurrite amoris,
Diuulsa & properè nectite lucra thori.
ol lucem vobis gyro breuiore coercet,
Et gratas noctis protrahit vsq; moras:
t præstet nunc, quod fertur fecisse, receptus
Iuppiter Alcmenæ cùm foret in gremio.
cilicet hinc vobis Phœbus se subtrahit orbi,
Seminio noctis tempora iusta sinens,
mideo vt grauior Regina, Decembre sequenti,
Sic pariat, maneat quem Diadema, marem.
lter vt Augustus Gradiuo dignus, in hostes
Sarmata, at Austriaco sanguine mistus eat.
uius ad occursum (non falso impleuit Apollo
Augurio) timidos vertere terga Getas
n video: gentes poscunt sua iura paternę;
Imperium optantes haud melioris heri.
oribus augustis, similisq; Parentibus almis,
Sanguine communi nascere Magne puer,
i latè imperitans pacem Mohumeta profanus
Spondet. & ambigui fœdera Martis auet.
lices isto quos sub Bellona locauit,
Vngaria exclamat, Principe: Turca peri.

Ast

Aſt ego parua loquor: Regem hunc prece ſupplice, quas Sol
Nunc videt exoriens occiduusq́;, plagæ
In Dominum poſcunt; ſpondent parere. Modeſtus
Ille ſed, & lætis doctus habere modum,
Eſſe putat maius Regnis regnare Rogari.
Regnum ô te dignum quod ſatis eſſe poteſt!
Naſcere Magne puer, cui tot bona ſpondet Olympus:
Sarmata, de Auſtriacâ naſcere Matre puer.
Quo Domino quæ his (heu) ſcelerum contagia in oris,
Vnde ferunt, referant Tartara ad ima pedem.
Barbaries Regnis vnà ô procul exſulet omnis!
Ad conſanguineos monſtra abigenda Getas.

FINIS.